

„ sibi attrahere cœpit universa; ubique cre-
 „ vit morum corruptio: ubique relaxatio di-
 „ sciplinæ, „ Mallet scilicet Quesnellus, mal-
 „ lent cæteri novarum hæresum artifices, ut
 Romani Pontifices intrâ Romanæ Diœceseos
 limites curam restringerent; reliquarum ve-
 rò sibi commissarum à Christo ovium solici-
 tudinem à se abdicantes, transferrent peni-
 tûs in Episcopos, ut supremam in suis singu-
 li Ecclesiis exercerent in posterum autori-
 tatem. Istud sibi commodum indè promittunt
 hæretici, quòd ubicunq; aliquem incautum
 in sua retia pertraxerint Antistitem, ejus tuti
 patrocinio neminem metuerent suis molitio-
 nibus obstantem, nullis aliunde imperiis,
 minis, correptionibus coërcerentur, ab om-
 ni anathemate securi. Tum nempe mores
 corrigit, inclinatam tunc erigent discipli-
 nam, dum fidem destruxerint, & cum Sedis
 Apostolicæ obedientiâ omnem exuerint re-
 ligionem. Relegatæ autem disciplinæ, & in-
 valescentium vitiorum exprobratio Quesnel-
 lo cum hæreticis omnibus communis est.
 Quis enim novatoriens viam sibi ad perfidiæ
 triumphum stravit, nisi obtentu purioris ethi-
 cæ, veteris instaurandæ probitatis? De Eu-
 sebianis ait Baronius ad annum 336. num. 37.
Usque dum vixit Constantinus, si quod bellum
Catholicis intulerunt, nequaquam ut Ariani;
at potius ut bonorum morum vindices præstite-
runt, sed & Ecclesiastica disciplina custodes,
cum Athanasium damnaverunt, . . . se exhibue-
runt. Hac fraude circumvennerunt Imperator-
rem, ut ipse deplorat in epistola ad Theo-
gnim & Nicomedienfes, quæ est apud Theo-
doretum Hist. Eccles. lib. 2. cap. 29.

Pius Dux Saxonie Georgius scribens ad
 Regem Angliæ, de Lutheri fraudibus queri-
 tur, quòd plurimos spurcus hypocrita fefelle-
 rit obtentu *Ecclesiasticos abusus ad pristina Reli-*
gionis severitatem corrigendi. Hac velut perso-
nâ tectus, magno spectatorum plausu in orbis pe-
nè universi theatro tragædiæ suæ initium dedit.
 Sic Luthero patrocinans Erasmus ad Mogun-
 tinum Antistitem scribit: *Paulatim evanesce-*
bat vigor Evangelicæ doctrinæ, & futurum
erat, ut rebus semper in deterius prolabantibus,
tandem prorsus extingueretur illa scintilla Chri-
stiana pietatis, ut non reaccendi poterat extin-
cta charitas: ad ceremonias plusquam Judaicas
summa religionis vergebat. Hac suspirant, &
deplorant boni viri, qualis cum Luthero fuit
 Erasmus, & ferè cum suis hodie sequacibus
 est Quesnellus. Non minùs morum, & di-
 sciplinæ dissolutioni ingemuit Calvinus lib. 4.
 institut. cap. 5. *Omnia illic, inquit, à Christi*
institutione adeò dissimilia sunt, imò aliena;
adeò ab antiquis Ecclesiæ institutis, ac moribus

degenerarunt. Et nuperus Jansenista famosus
 Eugenius de Gelder Brugenfis in *ultima voce*
Zelatrici innocentie, deplorabat vehemen-
 tiùs pag. 115. *Quòd multas propositiones Mi-*
chaëlis Molinos talibus terminis conceperint,
denuntiatores Jesuitæ . . . ut per condemna-
tionem Molinos (quem aliqui magis infelicem,
quàm nocentem autumant) & præterea ejus
doctrinæ videantur voluisse eliminare illud pa-
rum, quòd restat supernaturalis operationis Spi-
ritus vivificantis. Sed in hoc Eugenius ille
 Romanæ Curie, quàm Quesnellus reveren-
 tior est, quòd prior in solos Jesuitas, hic in
 ipsam Apostolicam Sedem eliminati ferè ab
 Ecclesiâ Spiritus Sancti culpam conijciat.

Sed nunc favete animis, Catholici, si
 CLEMENS XI. cum tot præcedentibus Jan-
 senianæ, & Bajanæ doctrinæ adversariis Pon-
 tificibus, *corruptioni morum & relaxationi di-*
sciplinæ viam latam aperuerit, spem facit
 Quesnellus secuturi aliquando Pontificis,
 qui nihil agendo restituet rem, laxas scilicet
 habenas permittendo Novatoribus, nihil sibi
 quod extra Italiam geritur, vel etiam extra
 Episcopatus Romani terminos attrahendo.
 Is probè studuerit Augustino, & cæterorum
 veterum Patrum, ac Pontificum traditioni.

Sic pag. 219. „ Nihil simile metuendum
 „ est à Pontifice, qui sapiet, & bene instru-
 „ tus erit doctrinâ traditionis: qui limites
 „ noverit potestatis suæ: cui neque Decre-
 „ torum, aut Decretalium literarum inter-
 „ pretes, neque recentiores sui Scholastici
 „ caput impleverint ideis, quas de Papali
 „ autoritate confinxere, falsissimis. Deni-
 „ que cui neque animum corrupit ambi-
 „ tio &c. „ Quis credat talia Quesnello ex-
 cidere potuisse? Sed eò omnia hæctenus me-
 morata satis disposuere, & hic paucis, atque
 apertius prodit, quod tantis ambagibus ante
 voluit indicatum: videlicet CLEMENTEM XI.
 & quotquot Pontifices Jansenii, & Baji er-
 roribus obstiterunt, ignaros fuisse traditio-
 nis Patrum, plenos falsis Scholasticorum opi-
 nionibus, inflatos, corruptos superbiâ, &
 ambitione. Sed nè Authoris verba durius
 cuiquam fortè videar interpretatus, addo sen-
 tentiam ejus Gallicam: *Il ne faut rien craindre*
de semblable d'un souverain Pontife, qui sera
eclairé, & bien instruit de la doctrine de la tra-
dition: qui connoitra les bornes de sa puissance, qui
n'aura point l'esprit rempli de fausses idées, que
les Decretalistes, & les scholastiques modernes
se sont faites de l'autorité des Papes, ni le cœur
corrompu par l'ambition &c. Hic iterum te,
 Lector Catholice, obtestor, estne verisimile
 quòd Author ille *Tanillus homo conscius sit*
renuitatis suæ? Indigerne adversariorum ex-
 agge-